

Questio Secunda

ctur per essentiam semper est mensura ipsius quod dicitur per participationem: ideo potest dici quod prima mensura omnium eternorum est ipsa dei eternitas sicut dei substantia est mensura omnis substantie ut dicit commentator. 11. metaphisice. Si tamen loquamur de mensura non analogica sed adequata et homogenea sic dicimus quod angeli mensurantur evo non solum quantum ad eorum substantiam: sed etiam quantum ad eorum propriam operationem secundum San. Tho. quo. 5. ar. 7. et quia supremus angelus non est simplicissimus quantum ad operationem: quia per suam operationem est aduersus ab vno primo et conuersus ad inferiora ideo in lucifero non est euum. Sed contra hec propria operatio angeli non est eterna: ergo non mensuratur evo dicendum quod dilectio naturalis in angelo etiam dampnato semper manet. Sed contra ergo in ipso manet euum. Forte dicitur quod non propter peccatum ratione cuius de supremo factus est ultimus. Sed contra tunc in anima christi esset euum quia anima christi est summa quantum ad gratiam dicendum quod hoc non sufficit: quia euum fundatur in summa natura non deprauata. Quidam dicunt quod fundatur in gratia. Sed contra superior angelus non mensurat esse naturale aliorum per gratiam.

Item tunc euum esset eternitas participata que mensurat actum beatificum. Si dicatur ponamus quod sint infiniti angeli boni et nullus sit primus queritur tunc ubi esset euum dicendum quod casus est impossibilis.

Ad tertium dicit San. Tho. in 2. dis. 2. q. 1. ar. 2. ad 3. et 4. quod quis vnus angelus non sit causa alterius est tamen simplicior altero et hoc sufficit ad rationem mensure unde cognoscendo naturam supremi angeli facile possumus cognoscere omnes angelos esse incorruptibiles: quia sunt similis nature nec est possibile duos angelos esse equales. Sed dices omnes angeli sunt eterni: ergo omnes angeli mensurantur eternitate. Item angeli mensurantur eternitate: ergo non mensurantur evo: dicendum quod eternitas et euum sunt idem. Nec valet prima consequentia san. tho. prima parte. q. 10. ar. 3. sed ponamus quod angelus solum duret per instans et sua beatitudo vel esse beatum tunc ista mensurantur evo et eternitate participata et pono nullum tempus esse videtur quod sic licet ibi non esset extensio durationis: sed contra nil mensuratur nisi quantum: ergo oportet quod esse angeli extendatur. absque puncto quod indivisibile ut punctum non mensuratur dicitur quod non est simile. Sed queritur an hominem esse animal et alie veritates eterne et necessarie mensurentur eternitate vel non sicut angeli dicit san. tho. ibidem ad tertium quod iste veritates eterne sunt in intellectu dei et ideo mensurantur eternitate.

Ad quartum negatur consequentia propter mensurata que sunt diversa. Et ad replicam dicitur quod euum non mensurat substantiam absolute nisi quantum ad suam existentiam. Sed tunc queritur cuius substantia et existentia angeli equaliter durent quare dicitur quod euum mensurat existentiam et nunc eui essentiam dicendum quia ab essentia est esse et ita euum videtur esse a nunc ipse eui sicut tempus est ex fluxu instantis. Hieronymus tamen dicit in primo. d. 19. q. 2. in primo puncto quod nullus bene sentiens ponit quod nunc sit causa temporis secundum rem loquendo: quia causa efficiens temporis est illud quod est causa motus et causa subiective est mobile. Causam autem formalem non habet si-

Articulus Quintus.

cut nec aliqua forma secundum rem loquendo secundum sanctum thomam. 1. par. q. 75. ar. 5. 3. Si ergo queratur quid constituit rationem temporis dicendum quod esse quantitatem continuam successiuam.

Ad quintum negatur consequentia. vel dicitur quod angelus est infinitus sic quod sua duratio non finitur tempore: sed evo prima par. q. 10. ar. 5. 4. Ad aliud dicitur quod ratione motus esse corruptibile subicitur tempori secundum sanctum thomam. in primo. d. 19. q. 2. ar. 1. 4.

Ad sextum patet ex dictis. dico enim quod angelus aliquomodo mutatur non visio beatifica. Et ideo mensuratur eternitate participata in pena autem dampnatorum est successio. Et ideo non mensuratur eternitate. Sed contra in pena eorum essentiali nulla est successio de hoc alias. Si dicatur licet visio beatifica non est subiectum mutationis: tamen iungitur transmutabilitati ergo mensuratur evo. Non sequitur.

Ad septimum dicitur quod ratione fantasmatum scilicet operatio nostri intellectus habet tempus. 1. par. q. 85. ar. 5. ad secundum. Scilicet dicitur quod quilibet angelus potest habere suum tempus: sed de hoc in octavo sanctum thomam. in primo. dis. 8. q. 3. ar. 3. 3. 4.

Ad octauum negatur maior per extrinsecum licet non desinat per intrinsecum et cum probatur: quia quod desinit esse non habet totum esse quod habere potuit dicendum quod plus essendo non habuisset aliud et aliud esse nec in parte nec in toto quod autem euum non habeat successionem patet: quia in omni successione aliquid amittitur: sed supremus angelus non continue mutat nec suum esse quod mensuratur per euum: ergo in suo evo non est prius et posterius. Ad aliud dicitur quod in angelo semetipsum non est fuisse et fore: sed solum quo ad coexistentiam ad tempus. Et quia ad preteritum non est potentia ideo deus non potest facere quin angelus coexisterit tempori preterito et quin fuerit vni sanctum thomam. prima par. q. 10. ar. 5. 5. dicit quod esse angeli subest diuine potentie absolute considerando: patet potest deus facere quod esse angeli sit futurum et potest facere dum est quod non sit idem habetur in secundo. d. 2. q. 1. ar. 1. 7. et quodlibet 10. ar. 4. 1. ubi concedit quod deus potest facere angelum non esse. Sed contra ponamus per casum quod nunquam tempus fuerit tunc adhuc verum est dicere angelum fuisse unde Gregorius nazansenus dicit angelos fuisse ante mundum ut dicit sanctum thomam. prima par. q. 6. ar. 3. Et ita argueretur quod in deo sit fuisse et fore. Item ista est vera absolute deus est hodie et angelus est in hac die: ergo mensuratur ista die forte dicitur quod deus dicitur esse hodie: quod coexistit hodierno tempori. Contra tunc sicut dicit philosophus. celum esset in grano milii: quod est quando granum milii et per idem arguitur quod fortes mensuratur instanti: quod forte est in hoc instanti alias fortes nunquam inceptet exponitur enim sic fortes est in instanti et ante illud non fuit etc. Dicendum quod si nunquam fuisset nec foret tempus tunc in angelo non est fuisse nisi forte per tempus ymaginariu vel in suis operationibus. Ad aliud dicitur quod duo contradictoria possunt coexistere vni evo vel vni nunc ipse eui tamen non mensuratur ipso sed tunc queritur an creatio angeli mensuratur per nunc eui et similiter sua annihilatio si a deo postea annihilaretur et similiter queritur an vita eius operatio mensuretur tempore vel per nunc dicendum ad primum quod creatio rerum mensuratur instanti temporis discreti et per hoc patet si ponamus quod nullum tempus sit an deus potest creare vnum angelum post alium et in quo erit ista successio an in evo dicendum